Fechneri Joh: Troas sive de Ilio capto actus. 1665.

50.

J. F.

TROAS,

sive

DE ILIO CAPTO,

ACTUS

Ducta Virgilii Lib. 2. Æneid.

IN GYMNASIO MAGDALENEO

a. d. 9. Julii hor. ab 8. matut. 1665,

publicè habendus,

dirigente,

M. Johanne Fechnero.

WRATISLAVIÆ,

Typis Baumannianis, exprimebat JOHANNES CHRISTOPH. JACOB.

Lectoribus Salutem & Observantiam.

EX veritatis tripode prodiit, quod Romanus dixit Sapiens: Nihil publicè stabile est; tam hominum, quam urbium fata volvuntur. (Sen. ep. 91.) Nam ut temporum vices, ita Respublicas verti convolviq; videmus. Humana omnia instar circini rotantur, quæ ad summum perducta, ad infimum rursus, ac velocius quidem, quam adscenderant, relabuntur. Hoc tot regnorum eversiones, tot urbium illustrium cadavera oppidò confirmant: Harum gloria intra limites præstitutas à carceribus usq; ad metam procurrebat, ad quam ubi perventum, curulis potestas subsistere necesse habuit. Columnis Herculis Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imperator, detecto jam ultra Oceanum Atlanticum novo Orbe, meritò inscripsit: Plus ultra. Sed meta fatalis, quæ Rebuspublicis civitatibusq; magnis præfixa est, pristinum illud lemma: Nil ultra, constantissimè retinet. Legem necessitatis, quam Numen divinum fixit, hominum nulli refigere licet. Termini lapidis tanta fuisse memoratur contumacia, ut vel Jovi cedere noluerit, cum capitolii fundamenta locarentur: (Flor. l. 1. c. 7.) Ita terminus fatalis, nulla vi, quanta etiam sit, summoveri se patitur. Regna non exercitus numerosi per fines dispositi, non coloniæ per provincias tributæ, ab interitu vindicant: Urbes non ædificiorum structuræ magnificæ, non turritæ murorum minæ, non munimentorum ad cœlum eductæ moles ab exitio tueri valent: Accidit enim illis sæpe, quod magnis arboribus, quæ diu crescunt unâ horâ exstirpantur, ut Scythæ magnum illum Macedonem providentur monent. (Cur. l. 7.)

Quid

Quid regno Priami potentius? Quid Ilio firmius? Et tamen cum jam ſumma dies & tempus ineluctabile venisſet, alto à culmine ruebat. O tragicum prorſus excidium! En conſidit in ignes Urbs tot per annos Phrygiæ dominata! En in cineris habitum redigitur Troja, Troja, cui condendæ ipſa numina, ut eſt in fabulis, ſuas elocaverant operas. Hæc, inquam, Urbs ab illis ipſis conditoribus ſuis eruitur, deſtruitur, evertitur. Fuere Troes, fuit Ilium & gloria Trojugenarum. Memorabile ſane ad omnem poſteritatem & nulli non hominum cognitisſimum urbis funditus deletæ exemplum. Quis enim non poſt Homerum Iliada, poſt Euripidem Hecubam cantitavit? Non tantum Virgilius, Homerus Romanus Græci illius clarisſima presſit veſtigia, & addito feliciter colophone, Iliados epos divinum divinâ in Æneide conſummavit, & ad perfectionis produxit culmen; Non tantum Livius Andronicus Equum Trojanum in proſcenium Romanum protraxit: Non tantum Seneca Euripidis ſyrma & cothurnos ſibi aptavit, ac Troadas poſtliminio revocavit in orcheſtram: Sed & poſt illos multi carminum hiſtoriarumque conditores lentum illud & funeſtum bellum, quo Phrygiæ & Græciæ vires colliſæ fuerunt, vivacibus Mnemoſynes tabulis inſerverunt. Horum operâ factum, ut nulli nota magis ſit ſua domus, quam Troja, commune illud Aſiæ & Europæ ſepulcrum. Negant quidam ullam unquam fuisſe Trojam, quæ ſit Græcorū armis expugnata & exciſa: Nam omnia, quæ de bello Trojano vulgò narrantur, autumant esſe purum putum figmentum, cujus ſator & autor fuerit Homerus, cæcus ille fabularum pater; Sartor verò & auctor Maro, Homeri optio, qui cæcâ æmulandi cupiditate captus fabuloſam illam

narrationem exequi connisus sit. Equidem non habeo basilicas edictiones, quibus cogere aliquem possim, ut credat indubiæ veritati congrua esse omnia, quæ vel Ilias de capiendo, vel Æneis de capto Ilio prodidit. Hoc verò liquidò constat, epicos poetas, quorum principes Homerus & Maro, fabulis vera involvere & heroica gesta scitissimis figmentorum ἐπεισοδίοις illustrare. Quemadmodum enim pictores, cum genuinam certæ rei formam ad archetypum exprimere student, marginem παρέργοις elegantioribus explent, ut ipsi operi splendorem concilient venustiorem: Ita & carminum heroicorum artifices narrationes rerum gestarum non tantum numeris delicatoribus induunt, sed & lepidissimis fabularum fictitiarumque descriptionum elenchis pulcrè interstinguunt, ut prosint pariter & delectent. Talia audendi pictoribus atque poetis, teste Flacco, æqua semper fuit potestas concessa, ita tamen, ut sylvis non delphinum, sed cupressum, i. e. congrua congruis, apta aptis appingerent & affingerent. Verum ne circa cupressum illam diutius moremur, revertamur jam ad oleas & campum, ubi Troja fuit,

per quem magnus equos Andini flexit alumnus.

Fuisse Ilium, fuisse etiam à Græcis excisum cum poetis testantur historici non pauci, & hos inter duo, nempe Dares Phrygius, qui procul dubio veteres memorias excussit, antequam ad res in patriâ gestas describendas se accinxit; & Dictys Cretensis, qui non more popularium suorum mendax fuit in denarrandâ eadem historia. Quod si verò quædam ex fabulis hausta irrepserunt in narrationem illam, tamen veritati rerum gestarum fraudi esse non debent. Ipsa historia Romana à fabulis au-

spicium

ſpicium ſumit. Ficus ruminalis, & ſub ea lupa Romuli & Remi nutrix illa famoſa non ad marginem, ut pictorum cupresſus, ſed in fronte collocatur. Quid, quod ipſa gentis Romulei incunabula ab Æneâ profugo & matre ejus fabuloſâ Venere arcesſuntur.

Verum enim verò ſive nudam, ſive ſyrmate poetico involutam illam de excidio Trojano hiſtoriam ſpectemus, ſuppeditabit nobis, quam plurima, quæ memori mente ſunt frequentanda. Inveniemus hîc cornucopiæ multijugæ frugis, i. e. doctrinæ moralis civilisq; ubertate refertisſimum. Inveniemus lancem ſaturam, unde ad prolubium animi capere & carpere posſumus exquiſitiora nō ſolum elegantiarum poeticarum, ſed & politicorum monitorum tragemata. Non apponam denuò, quæ ex Trojani belli ſcriptore congesſit Horatius :(lib. 1. ep. 1.) Non ab ovo Ledæo, non à pomo Eridis, non ab odio Junonis arcesſam originem belli funeſtisſimi : propinquior cauſa venit excutienda. Paris, qui violatô nefariè hoſpitalitatis & matrimonii jure uxorem alienam rapuit raptamque repetundarum reus marito legitimo reſtituere detrectavit, Paris, inquam, fuit faxilla, uti Hecuba in ſomnis præviderat, qua Troja incenſa in cineres reſedit. Sed igni oleum affundebāt Trojanorum primores, qui pudendam adulteri cauſam pertinacisſimè defenſitabant & propter mulierculam flagitioſam extrema quæque experiri ſuſtinebant. Tam læva, tam perverſa illis erat mens, ut in ſummum adacti diſcrimen perniciem ſibi ſtructam non proſpicerent, & fidem facerent diverbio, quod in gentem illam vulgò jactari ſolet : Serò ſapiunt Phryges, nempe non niſi receptâ clade gravisſimâ multati. Cum enim Græci per inte-

grum decennium obſidioni unius urbis inhæſisſent, eamque omnibus adhibitis machinis fruſtra oppugnaſeent, tandem ad fraudulentas converſi artes callido Ulysſis verſutisſimi conſilio durateum exſtruebant equum, cujus uterum cavum armatis implebant militibus eumq; in caſtris fugam ſubdolè ſimulantes relinquebant. Quid jam Troes? Sinonis impoſtoris vaferrimi, qui ad fallaciam hanc ſubornandam ab Ulysſe inſtructus erat, offutiis eò inducebantur, ut ſpretis prudentiorum monitis, machinam illam exitialem, tanquam ſacrum Minervæ munus, in urbem pertraherent, atque ita ſuo ſibi jumento accerſerent interitum. Hoc namque dolo, hoc ſtrategemate Ilium fuit captum, incenſum, everſum, cum cives periculi ſecuri, inciſis quaſi providentis diffidentiæ nervis, vino ſomnoque ſepulti jacerent. Sed eâ ipſa in calamitate conſummatisſimà emicuit maximè incomparabilis illa pietas Æneæ, qui patrem grandævum in humeros ſublatum medio ex incendio tutum deportavit in locum. Certè plures Socratis aut ſeveriorum è porticu ſapientum ſermones ad movendos juventutis animos tantum efficaciæ non habent, quantum unicum hoc exemplum tam graphicâ imagine à divino Marone expresſum. Sed & ipſum excidium Ilii tragicum tam luculenter ab eodem deſcriptum vel potius depictum, plurimum valet ad excitandas ſocordes hominum improborùm mentes, ut excusſo ſecuritatis ſomno, melius ſapiant, quam Troes, & exitium, quod Deus hominibus non reſipiſcentibus interminatur, providenter vitent.

Ac eum quidem in finem jam olim Equum Trojanum & Pietatem Æneæ publicis in Actibus produximus, ſed ſub forma Declamationum: Nunc verò libet ipſam narrationem Virgi-

Virgilii de Ilio capto & pio Æneæ facto sub schemate qualiscunque Dramatis soluto sermone expedire, non ut omnia pressius exequamur, sed ea duntaxat, quæ consultationi & actioni fictæ utcunque congruere videantur, proferamus.

Vos ergo, *Viri Magni, Boni, Docti*, qui litteris litteratisque proclivi mente animi favetis, eâ, quâ par est observantiâ rogamus, ut, si negociis gravioribus pausam aliquam indicere licuerit, cras sub horam 8. matutinam ludum nostrum invisere dignemini. Non spectabitis ludum festivum, sed tenue specimen exercitationis Scholasticæ, quâ juventus ad seria vitæ civilis & moralis officia exequenda, quodam quasi præludio accingatur. Hoc enim intendimus, hoc unicè in votis habemus, ut ex disciplinâ nostra prodeant homines non Paridi execrando, sed Æneæ pietate in parentes, patriam & patriæ patres apprimè similes. Quod votum supremus ille Scholarum piarum Inspector & Conservator velit esse ratum. P. P. a. d. 8. Julii A. O. R. MDCLXV.

Prodibunt.

1. Ordinum ductor & reductor, Christophorus Pricelius Dracomont.

2. Græcorum Duces de summâ belli & modo occupandi Trojam consultaturi;

1. Agamemnon, Consilii præses, Esaias Saxo Hirschbergensis.

2. Menelaus, Gotofredus Ebersbach/ *Hirschberg.*

3. Nestor, Johannes Rungius, Wratislaviensis.

4. Ulysses, Georgius Hallmannus, Goldberg.

5. Diomedes, Paulus Reinhartus à Beyern.

6. Stenelus, Johannes Ernestus Güssau *Dracomont.*

7. Enipeus, Christophorus Oelßelius Lucca-Lusatius.

8. Sinon, Johannes Georgius Chwalkowsky Fraustadiensis.

3. Narratores excerpta ex textu Virgiliano, quæ ad præsens negotium pertinent, recitaturi:

Andreas

1. Andreas Goldbach/ Wratisl.
2. Johannes Andreas Mauersberger.
3. Salomon Soth/ Wratisl.
4. Gottfried à Tilisch.
5. Sigismundus Getzy à Garamsöck.
6. Vitus Ferdinandus à Mudrach.
7. Daniel Lindner/ Dracomont.
8. Maximilianus Preuß/ Wratisl.
9. Johannes Christianus Sprotta Wrat.
10. Gottfried Fuchs, Wratisl.
11. Johannes Schneider/ Wratisl.
12. Daniel Scholl/ Wratisl.

4. Trojanorum primores.

1. Ante captam Urbem diversa de Equo durateo à Græcis in castris relicto judicia edituri, eumq; tandem Sinonis imposturâ decepti, & Laocoontis interitu deterriti intra mœnia recepturi:

1. Priamus Rex, Gotofredus Sprotta Wratisl.
2. Capys, Herrmannus à Pucher.
3. Timœtes, Henricus Christianus Mœrischerus Wolaviens.
4. Ripheus, Johannes Sigismundus Steinbergius Goldberg.
5. Laocoon Sacerdos, Caspar Neumann/ Wratisl.
6. Sinon, Johannes Georgius Chwalkowsky Fraustad.
7. Mœris, Johannes Holl/ Vratisl.

2. Post captam jam Urbem partim pro patria tuenda extrema tentaturi, partim ad fugam se composituri:

1. Æneas, Johannes Jauditz Ravicens.
2. Panthus, Sacerdos, Daniel Walterus Wratisl.
3. Iphitus, Andreas Schüller/ Steinoviensis.
4. Anchises, Gotofredus Materni Wratisl.
5. Creusa, Elias Æbelius Glogoviensis.
6. Julus puer, Johann Antonius Schede/ Wratisl.